

Johann Quistorp

**Programma Rectoris Academici Johannis Quistorpii ... Quo ad eundum  
Tenerrimae Puellulae B. Annae Mariae Gerdes/ Exequias, Omnes omnium  
Ordinum Academicos, studiosissime invitat : P.P. d. XXIX. Martii An. M.DC.LX.  
sub Sigillo Rectoratus**

Rostochii: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777526247>

Druck Freier  Zugang




Qvistorp, J.,  
in A. M. Gerdes.

Rostock. 1660.

54
















PROGRAMMA  
RECTORIS ACADEMICI  
JOHANNIS QVISTORPII,  
D. ΘΕΟΛΟΓ. Past. J. & Prof. P.

Quo  
ad eundum

*Tenerrimæ PUELLULÆ*

B. ANNÆ MARIÆ



EXEQUIAS

EXEQUIAS,

omnes omnium Ordinum Aca-  
demicos, studiosissimè invitat.

P.P. d. XXIX. Martii An. M. DC. LX.

sub Sigillo Rectoratus.



ROSTOCHII  
Typis Hæredum NICOLAI KILII, Academ,  
Typographi.



*Chrysoſtomus Hom. 32. in Matth.*

Si ad imperandum regnandumq; in hoc  
caduco mortaliq; regno, filius tuus adisset,  
nolles eum inde redire, ut ipsum videres.  
Nunc verò cum ad majora meliora que re-  
gna proceſſerit, parvi temporis absentiam  
ferre non poteris? Noli ergò plorare, red-  
didisti enim depositum, quod tibi concre-  
ditum erat: non sis sollicitus, videns in-  
violabili ærario thesaurum tuum  
esse depositum.





RECTOR  
JOHANNES QVISTORPIUS, D:

**Q**uid aspectu jucundius? forma elegantius? odore gratius? quam vernantis anni herbas, gramina, violas, variisq; generis flores in hortis, pratis, agris efflorescendo quasi reviviscentes, oculos animosq; quasi fascinando, terram variis coloribus, plusquam Apellea arte purpurantes, contemplari? Hoc vernale tempus Botanicos & Pharmacop. mirificè delectabit, illi studiosè flores hinc inde colligent, & auro ac argento preciosiores æstimabunt. Tu quoque Adfinis dilecte, in hortulo tuo propullulantes herbas & plantulas observare, iisdemque Te recreare, & animi curas nonnunquam dispellere soles. Interim ut verum fatear, quid iis fugacius, quid fragilius? Ad  
æstum



æstum, imbrem & venti levem impetum, subitò vicissim evanescent, flaccescunt, concidunt!  
R. Psaltes David, Flori, hominem scitè comparat, qui postquam pulchritudinem & fragrantiam mundo ostendit, subitò morbo percussus, languet, falce resectus, emoritur. De Scapò arboris Ægyptiacæ, quæ Celtis seu Lotho dicitur, Plinius lib. 13. cap. 18. memoriæ proditum relinquit, quod Phœbo oriente, caput ex Nilo extollat, eodem recedente, se recondat & quasi submergatur. Condrilla heliotropium & similes flores, cum sole subitò vertuntur, eodem die panduntur, clauduntur, nonnullæ menstruæ, quædam bimestres sunt, pluresve menses florent, nullæ verò perpetuò durant & vigent. Homini quoque, licet unus altero vivacior sit, Lex una mortis dicta est: Et parum interest, inter illum qui unum & qui centum annos vixit, ut inquit Hieronymus, nisi quod hic, quò ætate gravior, eò peccatorum falce magis gravatus & onustus, defunctis Patribus suis aggregatur. Rosa vix protuberans, decerpta, fragrantior imò gratior multo est hominibus, eâ, quæ dumetis spinisque obsita, suffocatur, Sic Rosæ & violæ, piorum  
inquam



inquam animæ, ipso statim ineunte Vere novo  
collectæ, in æternum Myrothecium repositæ,  
perpetuò florent, & nullo unquam tempore  
emarcent. Plinius de mirabili Vibonum, her-  
bæ Britannicæ, florum natura refert, eos Vere  
novo, antequam tonitrua audiantur colle-  
ctos, nobilissimam adversus morbos corpo-  
risque infectiones, panaceam præbere. Haud  
secus animulæ beatissimæ, ante imminencia  
fulgura & fulmina, id est calamitates, tumul-  
tus & bella, cervicibus nostris impendentia,  
decerptæ, & in cœleste Rosetum plantatæ, ab  
omni periculo tutæ, perpetua felicitate,  
quam nec auris audivit, nec oculus vidit, nec  
os hominis protulit, nec mens concepit,  
perfruuntur. Rectè Menander ait: Quem  
DEUS diligit, hunc juvenem ad se evocat,  
& Vir Sapiens notat: eripi citius animas pio-  
rum, ne hujus mundi amurcâ & sordibus in-  
quinentur. Felicitatem hanc Vere hoc ver-  
nante, novo Vere sacro experta est Scitissima  
puellula, pia animula, Rosa jucundissima.  
ANNA MARIA GEXDES/ quæ  
ante annum, secundo Januarii intra h. IX.  
& X, vespertinam in Roseto hoc terreno efflo-  
rescens,



rescens, exiguo tempore virens, paulatim mar-  
cescens, vitæ hujus mala & pericula quasi præ-  
videns, & vanitates hujus mundi, detestans, ad  
Eden cœlestem anhelans & properans, voti  
tandem potita, & æterna felicitate beata est  
hora VIII, vespertina die XXV. Martii curren-  
tis Anni. Nata est beata hæc animula, Paren-  
tibus honestissimis, Viro Clarissimo, diserto ac  
Erudito DN. MARTINO GEXDES/  
Sedecim Viro & Civium præcipuo, Compatre  
& Affine jucundissimo. MATRE ANNA  
QVISTORPIA, Sorore percharâ. AVUM  
PATERNUM habuit Amplissimum B. DN.  
WINDO GEXDES/ Senatorem  
Prudentissimum. AVIAM PATERNAM EME-  
RENTIAM PÆNSES. AVUS MA-  
TERNUS eidem fuit Beatus JOH. QVISTOR-  
PIUS, Theol. D. Prof. Senior & Superinten-  
dens Rostochiensis, MATERNA AVIA BAR-  
BARA DOMANS/ Parentes quoque mei  
venerandi. Desinam allegare Proavos & Tri-  
tavos, nec sollicitabo amplius Manes; sufficit  
omnibus bonis, hanc piè defunctam, à Chri-  
stianis parentibus prognatam, renatam DEO  
per S. Baptisma, & piè denatam, animamque

largitori



largitoriæ Creatori, incontaminatam à mundo scandaloso, restitutam fuisse. Est illa in cœlestem Paradysum translata, ubi lauri ad instar, perpetuò floret, viget, vivit, ubi stolâ candida redimita, cum beatis stans, palmam manibus tenens, suavissima harmonia, DEO Opt. Maximo laudes æternas accinit. Salutem hanc P. Parentes, huic beatæ animulæ ne invideant, quin potius primitias has sanctas, sacro hoc Vere, DEO lubentianimo offerant. Quin potius, illud tritum Jobi septem filius & quinque filiabus, uno momento, orbat, remedium; DEUS dedit, DEUS abstulit, sit nomen DOMINI benedictum; sibi applicent. Nos ut Parentibus contristatis animicus de præmaturo filiolæ obitu condolemus, ita non dubitamus, quin meditationibus hisce sacris se consolaturi, & in voluntate Divina patienter acquieturi sint; certò confidentes, DEUM adhuc quendam Heredem naturalem relicturum, qui Genitoribus hisce solatio, & paternarum virtutum sectator esse possit: Quique vulnus hoc influxit, idem clementi benedictione benigne & abunde sanaturum. Hic enim mortificat, vivificat, vulnerat & sanat. Nunc quoque omnes &

singulos



singulos Academicos rogatos ac monitos ve-  
lim, ut in gratiam hujus literati Patris, quon-  
dam Civis nostri laudatissimi, ad deductionem  
funeris hujus hora I. in templo Mariano con-  
veniant, suâ præsentia mæltorum Parentum  
dolorem leniant, in simulque Se totamque  
hanc Terram, precibus suis DEO  
commendent.

*P. P. ROSTOCHII d. XXIX. Martii  
Anno MDC LX.*





















largitoriae Creatori, inco-  
do scandaloso, restitutam f-  
stem Paradysum translata,  
perpetuò floret, viget, viv-  
redimita, cum beatis stans  
tenens, suavissima harmo-  
ximo laudes æternas acci-  
P. Parentes, huic beatæ ani-  
quin potius primitias has sa-  
re, DEO lubenti animo off-  
illud tritum Jobi septem fi-  
bus, uno momento, orbat-  
dedit, DEUS abstulit, sit n-  
benedictum; sibi applicent-  
contristatis animum de-  
obitu condolemus, ita no-  
meditationibus hisce sacri-  
in voluntate Divina patien-  
certo confidentes, DEU  
Heredem naturalem reli-  
bus hisce solatio, & paterna-  
tor esse possit: Quique v-  
idem clementi benedictio-  
de sanaturum. Hic enim n-  
vulnerat & sanat. Nun

m à mun-  
a in coele-  
ad instar,  
â candida  
manibus  
Opt. Ma-  
tem hanc  
n videant,  
o hoc Ve-  
in potius,  
que filia-  
m; DEUS  
MINI be-  
arentibus  
ro filiolar-  
mus, quin  
olaturi, &  
turi sint;  
quendam  
Genitori-  
tum secta-  
influxit,  
& abun-  
vivificat,  
omnes &  
singulos

